



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 12. Sabinus Episcopus mistum venenum bibit innoxium sibi, noxium
miscenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

Virgil. 1.
Geor.

pauperum & peregrinorum, sitientium, & famelicorum non obliuiscuntur. Fortasse enim & ipsi aliquando sitient, aut esurient. Nesciunt enim, *quid serus vesper vehat.*

§. XII.

Sabinus Episcopus mistum venenum bibit innoxium sibi, noxium miscenti.

Ad hos sitientes, & vel malè, vel bene bibentes appono & illud, quod D. Gregorius, in pœnam talionis, accidisse memorat. Tametsi enim id nō accidit in aquæ elemento, euenit nihilominus, in poculo, interliquida annumerando, & luculentissimo talionis argumento. Verba D. Gregorij sunt

S. Greg.
l. 3. dial.
cap. 5.

ista: Venerabilis viri (Sabini Canusinae urbis Episcopi) cū ad exemplum vita sequentium in longum senium vita traheretur, eius Archidiaconus ambitione adipiscendi Episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Qui cū vini fusoris animum corrupisset, ut mixtū vino veneni ei poculum praberet, refectiois hora cū iam vir Dei ad edendum discumberet, ei præmijs corruptus puer hoc, quod ab Archidiacono eius acceperat, veneni poculum obtulit. Cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibetū hoc, quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer deprehensus se esse sentiens, maluit morti-

turū

zurus bibere, quam poenas pro illa tanti homicidij culpa, tolerare. Cumq; sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas, da mihi, ego bibo, sed vade dic ei, qui tibi illud dedit: Ego quidem venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Facto igitur signo crucis, venenum Episcopus bibit securus. Eademq; hora in loco alio, in quo erat Archidiaconus eius, defunctus est, ac si per os Episcopi ad Archidiaconi viscera illa venena transfjssent. Cui tamen ad inferendam mortem venenū quidem corporale defuit. Sed hunc, in conspectu aeterni Iudicis, venenum suae malitiae occidit. Quod sapius accidit, quam animaduertatur, Deo Sanctos suos protegente, & virus in veneficos refundente. Liber Sabini facto cantu applaudere.

*In sanitatem ceterorum ceteri,
Sed innocentes, si venenum misceas,
Sibi salutem, ceteris mortem bibunt.*

§. XIII.

Euthymius eodem curru in exilium vehitur, quo S. Ambrosium euehere volebat: Vxor eodem mariti feretro ad sepulchrum.

Omnia elementorum exempla, quae recensuimus, in terra contigerunt, quam obrem etiam terrae possunt ascribi. Addam tamen vnum alterumue adhuc peculiare, quod